

THEOLOGICÆ PROPOSITIONES  
 A D M E N T E M  
 FULGIDISSIMI ECCLESIAE LUMINIS, ET DOCTORIS  
**S. P. AUGUSTINI**  
*AUGUSTINIANI DE DIVINA GRATIA SYSTEMATIS  
SYNOPSIS EXHIBENTES*  
 P U B L I C E V I N D I C A N D Æ  
*A FF. EREMITIS AUGUSTINENSIBUS*  
 COLLEGII S. AUGUSTINI MAJORIS NEAPOLIS  
 ANNO 1778. DIEBUS . . . .  
 CATHEDRAM MODERANTE  
**F. VINCENTIO BARISANI**  
 S. T. M. EJUSDEMQUE COLLEGII REGENTE  
*Annis recurrentibus solemnibus S. Catharine V. & M. Alex.  
Studiorum Augustinensium Patronæ.*



N E A P O L I M D C C L X X V I I I .  
 T Y P I S V I N C E N T I I O R S I N O

---

P U B L I C A A U C T O R I T A T E ,

Si verē de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te  
convenit, ipsis B. AUGUSTINI disputationibus impende cu-  
ram, ut in confitenda Dei Gratia defæcatissimam, ac salu-  
berrimam Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ intelligentiam  
consequaris. S. Prosper in ep. ad Russinum.

REVERENDISSIMO . PATRI  
FRANCISCO . XAVERIO . VAZQUEZ  
PERUANO  
SACRÆ . THEOLOGIÆ . MAGISTRO  
AUGUSTINIANI . INSTITUTI  
SUMMO , VIGILANTISSIMO . AC . PERPETUO  
MODERATORI  
NON , MINUS . DIGNITATE . ET . AVITA . GLORIA  
QUAM . SUBLIMIORIBUS . ANIMI . DOTIBUS  
ET . PRÆSERTIM . PIETATE . CHARITATE . DOCTRINA  
PRUDENTIA . COMITATE . AC . LIBERALITATE  
CONSPICUO  
VIRO . EXIMIO . ATQUE . INTEGERRIMO  
QUI  
REGULARIS . DISCIPLINÆ . FOVENDÆ . ZELO  
SANIORIS . THEOLOGIÆ . PROPAGANDÆ . STUDIO  
ORDINISQUE . DECORIS . AMPLIANDI  
ET . AUGENDI . ARDORE  
INCENSUS  
NULLO . UNQUAM . PARCIT . LABORI  
SUPERIORI . OPTIMO , PATRI . AMANTISSIMO  
LITERATORUM . HOMINUM  
MŒCENATI . BENEFICIENTISSIMO , OMNIBUS  
ACCEPTISSIMO  
FR. AUGUSTINUS . CECERE  
EREMITA . AUGUSTINIANUS  
IN . COLLEGIO . S. AUGUSTINI . MAJORIS . NEAPOLIS  
DEFENDENS  
IN . PERENNE . GRATI . ANIMI . TESTIMONIUM  
QUOD  
BONAS . ARTES . ET . STUDIA  
FAVERIT . LAUDAVERIT . TUTATUS . FUERIT  
SE . SUASQUE . THEOLOGICAS . HASCE . THESES  
DEMISSE . OFFERT . ET . CONSECRAT ,





- I. **A**ugustiniana de simultanea rerum omnium Creatione sententia, nedum ab omni, vel levissima animadversione immunis est; sed etiam tot tantisque innixa momentis, ut contrariâ probabilior videatur.
- II. Angeli & primus homo in gratia sanctificante a Deo conditi fuere; id tamen ad fidem minimè pertinet.
- III. Impertitus est Deus innocentia creaturæ actuale etiam supernaturale adjutorium ipsi omnino necessarium, & ad actus quoscumque supernaturales, & ad perseverandum in accepta justitia.
- IV. Minime tamen ad hæc præstanta indiguisse creaturam innocentem adjutorio prædeterminante, & naturâ suâ efficaci exploratissima, & constantissima est P. O. Augustini doctrina.
- V. Actuale innocentis status adjutorium intellectum, & voluntatem adjuvare debebat.
- VI. Physicam autem hujus Gratiae naturam constitutam putamus in quodam supernaturali Dei concursu ad instar concursus simultanei, quo scilicet Deus supernaturalium rerum ideas intellectui exhibebat, ac voluntatem generaliter præmovebat ad bonum supernaturale.
- VII. Etiam corporis immortalitatem innocentì Adæ Deus concescit; quæ tamen naturæ proprietas non fuit, sed gratiae Dei beneficium.
- VIII. Ex inconcussis, firmissimisque S. R. Augustini principiis luculentér, solidèque evincitur impossibilem prorsus esse statum, quem *Pura Naturæ* Scholastici appellant; nonni proinde per summam invidiam potest hæc de impossibilitate status *Pura Naturæ* sententia tamquam in Bajo damnata traduci.
- IX. Suo libero arbitrio primus homo abutens divinum transgressus est præceptum; atque ita factum est, ut originale peccatum in omnes ejus posteros transfundatur, quemadmodum Fides Catholica docet.
- X. Hujus peccati pœna est lacertosa illa quam experimur pugna carnem inter, ac spiritum vulgo concupiscentia appellata.
- XI. Pœna pariter peccati est, non natura instituti hominis ignorantia illa, & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ, & qua approbat falsa pro veris, ut erret invitus.
- XII. Stipendium ejusdem originariæ noxæ est etiam corporis mors, seu necessitas moriendi, cui quotquot sunt homines nascuntur subjecti.

XIII.

- XIII.** Maxima autem hujus delicti pœna est exclusio a Regno Cœlorum , & ad sempiternum ignem sub immanissima diaboli potestate damnatio.
- XIV.** Quibus affici etiam parvulos sine baptisme ex hac vita decedentes sententia est S. P. Augustini apertissimis Scripturarum Sanctorum testimoniis munita.
- XV.** In hoc autem infirmitatis & corruptionis statu indigent Filii Adam medicinali Christi adjutorio, quo perditæ per peccatum vires reparentur , & quo fit , ut velimus ; sive adjutorio naturâ suâ , & ex *intrinseco* , ut scholæ loquuntur efficiaci .
- XVI.** Hujusmodi adjutoriorum in hoc corruptionis statu esse admittendum , & divinorum librorum oracula , & orationes Ecclesiæ , & constans S. P. Augustini doctrina, aliorumque Patrum consensus clarissimè , invictèque demonstrant .
- XVII.** Neqne sub hoc adjutorio naturâ suâ efficaci est libertatis humanæ pertimescendus interitus .
- XVIII.** Repudianda propterea est & Gratia Moliniana , & Gratia Congrua prout a Suarezio explicatur .
- XIX.** Præter Gratiam tamen naturâ suâ efficacem admittenda est in hoc infirmitatis statu etiam Gratia interior inefficax , quæ in scholis appellari solet sufficiens , illa scilicet cui humana voluntas resistit .
- XX.** Cum medicinalis potissimum gratiæ munus sit , & aperire quod latebat , & suave reddere quod non delectabat, rectè proinde cum P. O. Augustino a nobis gratia definitur : *Inspiratio Sanctæ dilectionis ; ut cognita sancto amore faciamus .*
- XXI.** Eodem Augustino duce statuimus efficacis gratiæ vim positam esse in Sancta interiori delectatione superante contrariam cupiditatem .
- XXII.** Sed quoniam hæc sancta delectatio juxta S. P. Augustini doctrinam eadem non est in omnibus , sed suos habet gradus , & modò est major , modò minor , modò vincit cupiditatem ad malum trahenter , modò ab eadem vincitur ; hinc rectè Augustiniæ Schola explicat gratiam naturâ suâ efficacem per sanctam interiorem delectationem , quæ gradibus relativè superior concupiscentiam vincat ; inefficacem vero per sanctam non victricem delectationem tribuentem voluntatem bonam , sed parvam & invalidam .
- XXIII.** Expositus hactenus divinæ gratiæ agendi modus , nedum est humanæ voluntati connaturalis , & maximè suavis ; sed talis , ut libertatem , & a coactione , & a necessitate servet in columem .
- XXIV.**

- XXIV.** Hocce autem Augustinianæ Scholæ systema contendimus esse genuinum , & germanum strenuissimi divinæ gratiæ vindicis P. O. Augustini systema , nullamque affinitatem habere cum damnato Jansenii dogmate .
- XXV.** Cùm autem Gratia dicatur Gratia quia gratis datur , opera naturalia neque de *condigno* , neque de *congruo* possunt medicinale Christi adjutorium promereri ; imo ad illud nemo per vires naturæ potest se *positive* disponere : dispositio- nis vero *negativa* nullam habet Deus rationem in suorum largitione donorum .
- XXVI.** Utpote fictitium procul amandandum est a sana Theolo- gia illud pactum excogitatum a Molina inter Deum Patrem & Christum de elargienda supernaturali gratia facientibus quod in se est per vires naturæ .
- XXVII.** In hoc infirmitatis statu indigent homines ad quemcum- que supernaturalem actum medicinali Christi adjutorio actua- li , & efficaci .
- XXVIII.** Et ad ipsum fidei initium ;
- XXIX.** Imo & ad Deum , etiam ut naturæ Auctorem super o- mnia diligendum ,
- XXX.** Et ad totam legem naturalem , etiam quoad operis sub- stantiam servandam .
- XXXI.** Et ad quasunque tentationes , etiam ex solo amore boni honesti vincendas .
- XXXII.** Ad finalem autem in bono perseverantium requiritur spe- ciale divinæ gratiæ donum distinctum a gratia habituali , & ab auxiliis , quæ ei tamen semper sunt adnexa .
- XXXIII.** Omnia pariter peccata venialia per totum vitæ cursum vitare est gratiæ Christi maximum singularissimumque privi- legium .
- XXXIV.** Sed quia præcepto charitatis tenemur omnes deliberatas actiones ad Deum tamquam ultimum finem vel actu , vel virtute referre ;
- XXXV.** Idcirco , ut homo deliberatè operans non peccet indiget medicinali , & efficaci Christi adjutorio .
- XXXVI.** Cujus primarius effectus est excitatio hominis ad fidem aut explicitam , aut saltem implicitam .
- XXXVII.** Minime autem indiget , aut fide habituali , aut gratia remissionis peccatorum .
- XXXVIII.** Concedentes tamen aliqua faciliora naturalis legis man- data quoad operis substantiam , & finem proximum sine Chri- sti gratia posse servari .
- XXXIX.**

- XXXIX.** Multa proinde fūnt ab infidelibus , & impiis , quæ inspectis virtutum officiis habent decus laudis , neque appellari debent peccata ; licet hæc eadem , vitio prorsus exrinseco , quatenus ex intentione operantis non referuntur in Deum , peccata dixerit S. P. Augustinus ; possunt enim aliqua bona non benè fieri .
- XL.** Medicinale porrò adjutorium , cui Deus dat , misericorditer dat , cui denegat , justo denegat iudicio . Verum quia beneficentissimus Deus neminem deserit , nisi deseratur ; idcirco justis omnibus in tentatione positis aliquod medicinale Christi adjutorium nunquam deest , præsertim aliqua , saltem levis , gratia ad orandum .
- XLI.** Quamvis nunquam reapse orabunt , nisi ipsis efficax orationis gratia conferatur .
- XLII.** Excoecari tamen , & obdurari peccatores aliquando adeo , ut omni gratiæ medicinalis careant auxilio cum S. P. Augustino tenemus .
- XLIII.** Eodem gratiæ medicinalis auxilio carere infideles pure negativos , qui nimirum nihil adhuc de Evangelio audierunt , in poenam præcedentis peccati , saltem originalis ipsomet S.P. Augustino præeunte afferimus .
- XLIV.** Puerulis etiam vitâ functis antequam baptismate abluantur , nullam actualem Christi gratiam conferri extra dubitationis aleam positum esse debet .
- XLV.** Neque tamen inde , aut peccata non esse iis imputanda ; qui omni medicinali justo Dei iudicio carent auxilio , aut Christum pro omnibus mortuum non esse , inferendum est .
- XLVI.** Cùm jure imputetur peccatum etiam iis qui omni gratia sunt destituti , dummodo hæc priventur in poenam præcedentis peccati , sive actualis , sive saltem originalis .
- XLVII.** Christus vero quamvis sit mortuus pro omnibus , & pro omnibus ac singulis remedia salutis instituit , paravit , exhibuit ; non omnes tamen beneficium mortis ejus recipiunt , sed ii dumtaxat , quibus meritum passionis ejus communicatur .
- XLVIII.** Quicumque itaque a Deo non adjuvantur per subministracionem adjutorii , de sua culpa quæri debent , non de ipsomet Deo liberalissimo Gratiarum largitore , qui licet nobis occulto , non tamen injusto id præstat iudicio .

192  
1546076